

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord. Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam Christianam Exhibentes

Muenden, Christian

Helmaestadii, 1730

VD18 13487477

Caput Secundum De Peccato Et Natura Hominis Peccato Corrupta.

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201546

LIBRI TERTII  
CAPVT SECVNDVMDE  
PECCATO ET NATVRA HOMI-  
NIS PECCATO CORRVPТА.

## §. I.

**E**X statu integritatis felicissimo primi ho-  
mines, non ita multo post creatio-  
nem, per transgressionem legis diuinae,  
(*Gen. III.*) in longe funestissimum statum  
peccati, et irae sunt delapsi; in quo etiam om-  
nes eorum posterii nati sunt, et hodie na-  
scuntur, atque in diem vsque extremum sunt  
prodituri. Omnis ergo homo, naturali  
modo in lucem editus, imagini, non Dei,  
sed Adami, conformis, (*Gen. V. 3.*) viribus  
bonum spirituale peragendi plane destitu-  
tus est, et ad omne malum procliuus, ita, vt  
non possit non peccare, et spiritualiter mor-  
tuus, morbos et mortem effugere nequeat,  
aeterna morte periturus, nisi in hac vita ad  
vitam spiritualem excitatur, et e statu irae in  
statum gratiae transfertur. Statum vero pec-  
cati penitius contemplaturi, primum pecca-  
tum ipsum; deinde naturam hominis, pecca-  
to corruptam, consideremus.

## §. II.

## §. II.

*Peccatum, in se spectatum, est ἀνομία, siue defectus conformitatis cum lege diuina. (I. Iob. III. 4.) Ex usu et consuetudine loquendi etiam omnes propensiones et actiones malae peccata dicuntur.*

## §. III.

*Lex diuina vniuersalis est decretum Dei, in ipsa creatione homini, ad imaginem Dei condito, plene manifestatum, nec non cordi hominis peccatoris inscriptum, (Rom. II. 14. 15.) obligans etiam post lapsum omnes homines, ad ea omnia peragenda, quae naturae illorum, ad imaginem diuinam restaurandae, conueniunt, et omittenda, quae eidem repugnant, ut aeterna eorundem felicitas promoveatur.*

## §. IV.

*Atque haec lex in decalogo, tanquam in compendio repetita, et solenni ratione promulgata, ut non a Iudaeis solum, verum etiam ab omnibus omnino hominibus perciperetur, et seruaretur, a prophetis in veteri, et a Christo atque apostolis in nouo testamento, luculenter exposita est, ut nulum nobis superesse possit dubium, quin lex diuina sit spiritualis, (Rom. VII. 14.) et non externam solum obedientiam, sed et internam, eamque omnibus numeris absolutam,*

exigat. Cumque lex omnia praecepta, Dei nomine lata, quin et leges humanas, inuoluat, si modo ab iis, qui leges ferendi potestatem habent, datae sint, neque quicquam, quod legibus diuinis repugnet, contineant: peccatum non vna ratione committi posse, euidentissimum est.

## §. V.

*Peccatum autem primum* commissum est, primo dubitatione de veritate Dei, legisque diuinae, et interna rei vetitae concupiscentia; tum vero etiam actu externo. (*Gen. III. 2. 3. sq.*) Causa ergo peccati fuit ipse homo, et, qui hominem ad peccandum induxit, sathanas; Deus autem inter causas peccati nullo modo referri potest.

## §. VI.

Peccatum statim secutus est, et nunquam non sequitur, *sensus culpa* et *poenae*, quo homo in conscientia sua de prauis internis motibus, ac externis actionibus suis conuictus, se per transgressionem legis foeditatem quandam moralem contraxisse, cum pudore intelligit, et poenam, a lege constitutam, quam se promeruisse negare non potest, summo cum tremore exspectat. Primum autem peccatum, quod omnibus Adami posteris iuste imputatur, amissa diuina imagine

ne

## DE PECCATO ET NATURA HOMINIS. 71

ne pro omnibus accepta, statim excepit corruptio humanae naturae, quae per naturalem generationem propagatur.

### §. VII.

Ex primo itaque peccato cum malum inhaerens natum sit, peccatum recte diuiditur in *actuale*, et *habituale*, quod in propensione ad malum consistit: et hoc rursus est vel *acquisitum*, vel *connatum*, quod ultimum dicitur *peccatum originis*, vel *originale*.

### §. VIII.

Dari *peccatum originale*, siue intimam naturae humanae corruptionem, homini a prima eius origine adhaerentem, *ratio* quidem sentit, et intelligit, ita tamen, uti decet, non cognoscit; sacra vero scriptura luculenter testatur. (*Gen. VI. 5. VIII. 21. psalm. LI. 7. Iob. III. 6. Rom. V. 12. Eph. II. 3.*)

### §. IX.

Haec substantiam hominis a peccato aperte satis distinguit, et peccatum illud originale describit, tum per *defectum concretae perfectionis*, siue imaginis diuinæ, tum per *mala imagini diuinæ opposita*. Definiri itaque potest peccatum originis per *carentiam imaginis diuinæ, cum intima totius naturae humanae corruptione, et concupiscentia*

*praua, seu inclinatione ad mala quaeuis, coniunctam.*

## §. X.

Speciatim si *intellectum* spectes, consistit peccatum originale in *carentia lucis*, siue cognitionis rerum diuinarum, et sapientiae caelestis, atque in oppositis *tenebris*, in ignorantia et errore, fluctuatione in iudiciis, et puerilitate in ratiociniis, quae ad praua magis inclinant, et summam, non solum in rebus diuinis, verum etiam subinde in naturalibus, *stultitiam* produnt. Quo nomine etiam *ratio*, pro ipso intellectu humano posita, plane *corrupta* dicitur, atque deprauata. Accedunt etiam defectus in *imaginatione* et *memoria* conspicui, qui corruptionem et imbecillitatem humanam probant augentque.

## §. XI.

Respectu *voluntatis* consistit peccatum originale in *amoris* diuini, atque virtutum, quae inde fluunt, iustitiae et sanctitatis, *carentia*, oppositaque *philautia praua*, ac vitiis ex illa proficiscentibus, avaritia, ambitione, et voluptatis cupiditate; quin et in *pugna rationis* et *appetitus sensitiui*, in qua ratio haud raro succumbit.

## §. XII.

Hoc ipsum iraque peccatum hominem  
in-

intrinsece reddit *ἀνομιον*, a Deo, veritate, et obedientia legi eius praestanda, auersum, et vera utique *ἀνομία*, veri nominis peccatum est, morte, quae peccatum sequitur, non solum naturali, sed et aeterna, dignum.

## §. XIII.

Atque hoc malum ad *omnes* omnino *homines*, qui modo naturali gignuntur, nemine excepto, peruasisse, et experientia docet, et scriptura nos dubitare non sinit. Omnes etiam experimur, sedem eius praecipue in *mente* esse; (*Matth. XV. 19.*) in *corpore* tamen vim quoque ipsius varia demonstrari ratione. (*Rom. III. 13. sqq. VI. 12. 13. VII. 24.*)

## §. XIV.

Denique, sicuti malum hoc per naturalem generationem a parentibus ad liberos *propagari*, iam traditum est; sic ea est peccati huius originalis indoles, ut *per omnem vitam* hominibus, etiam piis atque sanctis, *inhaereat*. Etsi enim reatus peccati illius ab homine in baptismo tollatur; pii quoque et regeniti, viribus gratiae in regeneratione acceptis, vim eius suppressere semper conentur, et virtute spiritus sancti efficiant, ne in ipsis regnet: (*Rom. VI. 12.*) hinc etiam peccatum originale in *regnans* et *non regnans* dispesci solet: eradicari tamen illud

penitus non potest, euellique in hac vita, sed reliquiae eius in homine per omnem vitam remanent, (*Hebr. XII. 1. Rom. VII. 17. sqq.*) per mortem demum, qua animam pariter ac corpus, radicitus tollendae.

## §. XV.

*Actuale peccatum dicitur omnis actio mala, et interna, et externa, quae cum lege Dei pugnat, quin et omnis omissio actionis lege diuina praeceptae: siue actio legi diuinæ non conformis.* Quomodo autem peccatum actuale committatur, partim ex supra dictis constat, partim ex scripturae sacrae testimonio, (*Iac. I. 14. 15.*) et exemplis, cognosci potest.

## §. XVI.

Peccati actualis *caussa* est *ipse homo*, qui peccat, et *diabolus*, qui diuerso modo homines ad peccata incitat, impellitque. Quando etiam alii *homines*, vel directe, vel indirecte, aliquem ad peccandum inducunt, pro peccatorum *caussa* recte habentur. *Reliquae* autem *res*, quae, dum sensibus obuiersantur, prauas cupiditates irritare possunt, pro occasione peccatorum sunt habendae.

## § XVII.

Peccatum actuale commissum non solum *reatus culpae* et *poenae* statim sequitur; sed  
etiam

etiam *unum* peccatum saepius *aliud*, aut *plura*, eaque haud raro *graviora*, *secum* vehit. Hinc etiam peccata praecedentia inter causas subsequens sunt referenda. Cumque Deus gratiam diuinam, per primum peccatum excusam, ex iusto iudicio subtrahat, hominem *indurare*, *in sensum reprobum dare*, et *peccata peccatis punire* dicitur; ex quo tamen nullo modo inferri potest, Deum in numerum causarum peccatorum actualium referri posse. Quid? quod per peccatum actuale saepius iteratum, et habitus peccandi oriatur, qui non tam facili negotio rursus exui potest, et naturalis ad malum propensio, ac miseria hominis augeatur.

## §. XVIII.

Diuiduntur peccata actualia, (1) intuitu *praeceptorum legis diuinae*, in *peccata commissionis* et *omissionis*, quae posteriora non leuiora prioribus sunt, sed hominem pari ratione aeternae poenae reum faciunt, (*Luc. XII. 47. Iac. IV. 17. Matth. XXV. 42. 43.*) quamuis sint frequentiora: (2) intuitu *modi*, quo peccatum committitur, in *peccata cordis, oris, et operis*, quae interdum coniuncta, interdum vero distincta sunt: nec non in *voluntaria*, siue *cognita*, quae ex intentione peccandi; et *involuntaria*, seu *incognita*, quae ex ignorantia proficiuntur: (3) in-

intuitu eius, *in quem* peccatur, *in peccata*, quae homo immediate *erga Deum*, et quae *erga semet ipsum*, et quae *erga alios*, siue *erga proximum*, committit; licet et posterioribus peccatis Deus offendatur, quippe quibus lex diuina violatur: et (4) intuitu *graduum ciuipias* et malitiae, *in grauiora* et *leuiora*, ut leuissimum peccatum aeternam poenam promereatur. (*Matth. V. 21. 22. Luc. XII. 47. 48.*) Vna enim actio longius a lege discedere potest, quam altera; et vnus homo grauiorem altero incurrere potest reatum.

## §. XIX.

Solent etiam peccata actualia in *clamantia*, et *non clamantia* distingui. In sacris autem literis, neque clamor peccatis tribuitur, neque vllum peccatum non clamare dicitur. Attamen *clamans*, vel potius *clamorem excitans* peccatum dici potest *iniuria grauissima, inferiori a potentiore illata, qua laesus, cum iudicem vindicemque non habeat in terris, ad Deum querelam suam deferre, et clamare cogitur*. Sic etiam diuisiones peccatorum actualium, quae ab homine peccante desumuntur, in peccata *proaeretica*, et *infirmitatis*; itemque in peccata *mortalia*, et *venialia*, ex articulo demum de renouatione hominis peccatoris, quae fidem in Christum sequitur, recte explicari possunt.

## §. XX.

## §. XX.

*Peccatum*, quod vocatur in *spiritum sanctum*, et non tam in personam, quam officium spiritus sancti committitur, consistit in malitiosa veritatis, de qua tamen mens iam conuicta fuit, abnegatione, et pertinaci reiectione, ac blasphema impugnatione medi-  
 orum gratiae. Hinc *irremissibile* dicitur, quia viam respuit, qua peccatorum remissio obtineri potest.

## §. XXI.

*Natura* itaque hominis, siue omnis, quae homini peccatori, qua animam et corpus, natura inest facultas, adeo corrupta et deprauata est, vt tantum ad malum inclinet, et malae arboris instar malos fructus ferat. Duplex autem datur genus hominum, a dominio peccati nondum liberatorum. Alii enim viuunt in statu *securitatis*; alii vero in statu *seruitutis*. Ex vno tamen statu saepius aliquis transire potest in alterum. Sic etiam alii ne vtuntur quidem ratione, sed brutorum instar appetitu sensitiuo ducuntur; alii vero rationem quandoque sequuntur, et secundum ductum ipsius non nulla ciuilitate et moraliter bona efficere, actus quoque instituere possunt, quos *paedagogicos* appellamus.

## §. XXII.

## §. XXII.

Quicquid boni in homine, rationis ductum sequente, deprehendimus, a *natura* proficiscitur, id est, naturali temperamento, educatione, et institutione, vsuque rationis; minime vero a *gratia* spiritus sancti, quae id mali quoque excludit, quod in homine, ciuilitate bono, adhuc dominatur.

## §. XXIII.

Ad bonum vero spirituale peragendum, quod Deo placere queat, homo non renatus omni destitutus est arbitrii libertate, et nouis viribus supernaturalibus est instruendus a Deo, qui et velle, et perficere operatur in nobis pro sua voluntate. (*Phil. II. 13.*)

## §. XXIV.

Id nobis potissimum curae cordique sit, ut peccatum, quod nobis dominatur, eiusque atrocitatem, recte agnoscamus; et nostram in spiritualibus ἀδυναμίαν sentientes, ad gratiam diuinam nos conuertamus, quo peccatum, quod nobis amabile videtur, detestari queamus. In actualium peccatorum exploratione caueamus sedulo, ne nosmetipsos decipiamus, partim pro peccatis non habentes, quae re vera peccata sunt, partim in minimis ac leuissimis peccatis ponentes, quae tamen grauissima sunt, aeternaque morte digna reputanda.

TA-

## TABVLA SYNOPTICA.

## I. De PECCATO agitur §. I-XX. et quidem

## (1) generatim, ubi

- 1) homines in statum peccati et irae delapsos esse, et post lapsum omnes in illo statu nasci, indicatur. §. I.
- 2) definitio peccati, abstractivae sumti. §. II.
- 3) quid lex divina denotet, involuatque. §. III. IV.
- 4) quomodo peccatum primum commissum, et quanam causa peccati. §. V.
- 5) consequens peccati. §. VI.
- 6) eiusdemque divisio ponitur. §. VII.

## (2) speciatim de peccato

## a) ORIGINALI, cuius

1. existentia probatur. §. VIII.
2. definitio ponitur. §. IX. et
3. vera ratio, cum intuitu intellectus, §. X.  
tum voluntatis exponitur. §. XI.
4. gravitas, et consequens traditur. §. XII.
5. subiectum quod, et quo indicatur. §. XIII.
6. affectiones notantur. §. XIV.

## β) ACTVALI, cuius

1. definitio. §. XV.
2. causa physica, moralis et occasionalis. §. XVI.
3. consequens. §. XVII.
4. divisio. §. XVIII. XIX. ubi  
specialissime notandum peccatum in spiritum sanctum. §. XX.

## II. De NATVRA HOMINIS peccato corrupta.

## §. XXI-XXIV. ubi

1. quam perdita sit natura hominis, et quae hominum in statu naturali differentia. §. XXI.
2. quid natura valeat. §. XXII.
3. quid praestare non possit. §. XXIII.
4. monita practica. §. XXIV.